



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

XVI. De sacha.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

est, & medietas argenti, & medietas ecclesie vbi inuentum fuerit, quæcumque ipsa fuerit, vel diues, vel pauper.

XIV.

Rex autem qui vicarius summi regis est, ad hoc est constitutus, vt regnum terrenum, & populum Domini, & super omnia sanctam veneretur ecclesiam eius, & regat, & ab iniurijs defendat, & maleficos ab ea euellat & destruat, & penitus disperdat: quod nisi fecerit, nec nomen regis in eo constabit; verum, testante papa Ioanne, nomen regis perdit. Cui Pippinus & Carolus filius eius * necdum reges, sed principes, sub rege Francorum stulto scripserunt, quærentes si ita permanere deberent Francorum reges solo regio nomine contenti. A quo responsum est: Illos decet vocari reges, qui vigilanter defendunt & regunt ecclesiam Dei, & populum eius, imitati regem Psalmographum dicentem: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, &c.*

XV.

Archiepiscopi, episcopi, comites, barones, & omnes qui habent sacham, & socam, thol, team & infangthefe, etiam milites suos & proprios seruientes, scilicet dapiferos, pincernas, camerarios, coquos, pistores, sub suo friborgo habeant. Et item isti suos armigeros, vel alios sibi seruientes sub suo friborgo. Quod si cui forisfacerent, & clamor vicinorum de eis assurgeret, ipsi tenerent eos rectitudini in curia sua: illi dico qui haberent sacham, & socam, thol, & theam, & infangthefe.

XVI.

Sacha est, quod si quilibet aliquem nominatim de aliquo calumniatus fuerit, & ille negauerit, forisfactura probationis vel negationis, si euenerit, sua erit.

XVII.

Socha est, quod si aliquis quærit aliquid in terra sua, etiam furtum, sua est iustitia, si inuentum fuerit, an non.

XVIII.

Thol (quod nos dicimus telonium) est, scilicet quod habeat libertatem vendendi & emendi in terra sua.

XIX.

Theam, quod si quispiam aliquid interciat super aliquem, & interciatus non poterit varrantum suum habere,

Concil. Tom. 25.

V u u ij

psal. 100.
Que præterea sequuntur apud Lambardum in hoc capite de officio regis, & de iure & appenditijs coronæ regni Britanniæ, cum epistola Eleutherii papæ ad Lucium regem, non habentur aut in nostro manuscripto aut in Hovedeno.

* aliter nondum